



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 3. A quo Iudice appellandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

Definitiva vero novas probationes admittit, cum sit diversa causa à principali. *l. per hanc C. de temp. appel. c. in appellatio- nis de iuram. calum. in 6. Phil. Franc. ibid. num. 1. Baldus in l. in ius de procur. Alex. Consil. 86. volumine 2. ubi exemplis declarat. Excipe procuratorem generalem, qui quia ad omnes causas præ- sentes, & futuras constitutus est, ap- pellationem à definitiva interpositam prosequi tenetur. *Panorm. in s. Non in- iuste.**

Quod si procurator non nisi ad u- num actum constitutus est, puta, ad recipiendum libellum, vel audiendam sententiam, ad prosequendam appel- lationem ab interlocutoria non cogetur, secundum regulam, *quod uno concessio alia cessantur prohibita. l. marinus C. de procur. Panormitanus in c. curato. non in- iuste V. Toder. to. 17. tit. 6. c. 11.*

§. 3.

A quo iudice appellare liceat

I. **A**B omni iudice, qui sententiam tulit, regulariter appellare li- cet, siue ordinarius sit, siue delegatus. *c. 3. 2. q. 6.* Omnis oppressus liberè fa- cerdotum, si voluerit, appeller iudici- um, & à nullo prohibeatur: sed ab his fulciatur, & liberetur. Si autem diffi- ciles causæ, aut maiora negotia orta fue- rint, ad maiorem sedem referantur *ita Anacletus Papa.*

Item Iulius papa in rescripto ad ori- entales *relatus in c. 8. placuit*, ut à quibus- cunque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos (ubi est auctori-

bus maior) fuerit provocatum, audi- entia non negetur. Idem constitutum est *l. 1. & 3. ff. quisquis à quo appelletur. Nec sine gravi causa.* Cum enim appellatio sit clypeus defensionis, & oppressorum refugium, nunquam non permitti de- bet: nec iudex sibi iniuriam fieri arbi- tretur, quando qui litigant, in re suo utuntur. *c. cum specialis 61. §. porro hoc tit. Rebuff. tract. de supplicat. n. 49. Speculator hoc tit. §. videndum restat. num. 18. Scaccia de appellat. q. 16. Armilla V. appellatio num. 16. Silvester questione 8. Vallens. l. 2. ti- tulo 28. §. 3. Corvinus in aphorism. hoc titu- lo.*

II. A iudice delegato appellatur ad eum, qui dedit *l. 1. in principio l. 2. & 3. ff. hoc titulo.* nisi delegatio habeat clausulam appellatione remota. *c. Pa- storalis hoc tit.* quæ tamen clausula ad levem & si violam appellationem re- stringenda est. *Gail l. 1. obs. 33. num. 4.* si quis autem iurisdictionem suam, ita committat alteri, ut exerceat eam, non ut delegatus, alieno scilicet nomine, sed ut vicarius, seu locum tenens, quem- admodum vicarius generalis episcopi facit, in eo eventu, quia unum utrius- que tribunal, non ad delegantem, sed eum appellabitur, cui delegans subie- ctus est. *Hinc in c. Romana de appell. in 6. & c. 2. de consuet. eod. expresse damnatur consuetudo ab episcopi vicario ad episcopum appellandi. V. quæ dix. in par. 1. summa tit. 5. §. 2.* Quandounque au- tem delegans aliquam sibi iurisdic- tionem propriam reservat, ad illum pro- vocabitur. *Glo. in l. imperatores §. si magi- stratus ff. hoc tit.* Quocirca à legato, cui non omnis iurisdic- tio mandati solet. *l. solent*

l. solent 6. de offic. proconsul. ad proconsulem (nam præiudex legato carent) appellandum est. *l. 2. ff. hoc tit. Cuiacius l. 7. observat c. 21. Wesenbec. l. 49. ff. tit. 3. Quis à quo appellatur.*

III. A supremo principe non appellari notum est, ut *Wesenbec. dicitur*, monete illud statum esse. Ipse enim est, ad quem uti maiorem omnibus dirigi provocaciones debeant. *l. 1. ff. hoc tit.*

Limita, Nisi ad aliorum relationem pronuncia verit, vel à male informato ad melius informandum appelletur *Sciaccia q. 8. num. 89.*

Præterea si secularis alicuius iudicis sententia manifestam contineat iniquitatem, ad sedem Apostolicam appellari potest: *arg. Glo in c. ex transmissa de fo. comp. c. si quis. c. ad Romanam 2. q. 6.* Nam ratione peccati, omnium principum, & iudicum Christianorum summus Pontifex iudex est. & in *c. ad Romanam* Ecclesia Romana mater appellatur, cuius uberibus nutriantur, & auctoritate defendantur fideles, quæque non possit, nec debeat oblivisci filiorum suorum. *Tuschus V. Papa com. l. 46. & 66. Silv. V. appell. Barb. in c. à duobus de appell.*

IV. Illud speciale est, quando ab Episcopo cuius prorogata fuit iurisdictio non liceat appellare. *l. Episcopali C. de Epsic. audient.* In alio iudice prorogato secus est, ut constat ex *l. 23. ff. hoc tit.* ex consensu litigantium circa compromissum iudice dato victus potest provocare.

A Pontifice ad concilium non admitti appellationem, & secus facien-

tes excommunicationem incurrere. *§. 1. n. 1. iudicavimus.* Addo nunc multo minus à concilio legitime celebrato, cui nimirum ipse pontifex præiudexi Neque obstat, quod in *c. tum ex literis. de in inter. rest.* dicitur Ecclesiæ Romanæ sententiam ut melius commutari posse & restitutionem in integrum fieri: quod etiam in *c. ventam & c. sententiam 35. q. 9.* affirmatur. Non obstat, inquam quia non dicitur in locis citatis sententiam pontificis à concilio corrigi, aut mutari posse: multo minus errorem concilii à pontifice tolli: sed quando per furreptionem, aut errorem à Pontifice aliquid statutum est, veritate cognita ab eodem, vel ipsius successore emendandum esse. *V. Bellarm. l. 4. de pont. c. 4. & seq. Azor. 11. l. 5. c. 13. q. 3. Barb. in cit capitib.*

V. Denique hætenus dicta de iudicibus, ad arbitros partium consensu per compromissum electos extendi non debent. Ab illis enim cum iurisdictionem non habeant, appellari non potest. *l. 1. C. de recept. arbitris* ab illis tamen appellatur, qui à iudicibus ad fidei iuratos probandos, aut ad alud negotium exequendum cum quadam potestatis cognitione dantur, *l. fin. ff. hoc tit.* quos Commissarios vocant. *Gail. l. 1. obs. 1. n. 169. Maranta par. 6.*

in actu 2. principali n. 262. Fenchm. l. 8 c. 96.

* *